

## Præfatio

les Theognosti, in quibus affuisse mihi numen aliquod satis intelligo. Nam sublatore omni luctus, me mihi restituit. Neque enim solum scribendo, sed etiam legendo illos, omnis calamitatis memoria, omnisque dolor abscedit ac tollitur. Illis ergo libris non his opus est, quibus iure potest dici id Euripidis :

*ω τλημον, ως τοι δύσφορος είργασαι νανά;*  
*Miser, quot ardua interis tibi mala?*

Qui verò, quæ ferri possunt, quæ humana sunt, patiuntur, qui que curant, ut quām felicissimè pro conditione sua viuant, his lectionem horum librorum haud inutilē futuram existimo, nec solum in aduersis, sed in secundis etiam rebus. Secundis enim rebus si quis abutatur, ut quidam amarō, ambitiosē, crudeliter, iniuste, libidinosē, non iam secundæ dici possunt, sed aduersæ. Quòd præclarè indicat illud Virgilij:

*Turbo tempus erit, magno cum optauerit emptum  
Intactum Pallanta, & spolia ista diemque  
Oderit.*

Bona enim fortuna si quis malè vtatur, perinde est, ac si malam experiatur. Quot diuitibus opes nihil aliud, quām luxum & morbos peperere? Quot viris vxoris pulchritudo dedecori & exitio non fuit? Vidimus Petrum Citadinum, cui cum obletementō esset piscina in hortis, suffocatus est in ea vnicus illius filius, septem annos natus. Bernardo itidem Scachabarotio delitiæ hortorum abstulerunt vnicum filium annorum quatuordecim. Qui verò artem adamantes perforandi inuenerat, & famam & lucrum adeptus quidem est, verum cum ex Italia in Græciam transiueret, ausus perforare adamantem Principis Turcarum insignis magnitudinis & pulchritudinis, & immensi pretij, fallente successu, seipsum interemit, veritus grauiorem mortem. Plena est nostra vita huiusmodi exemplis, ut non minus necessaria sit hæc ars, à nobis tradita, felicibus, quām etiam miseris. Quòd etsi tuto etiam liceret inter tot pericula viuere, nihilominus saltem propter vsum, ipsius scientia utilis est. Sed cum disciplinarum quædam magis scientia, quām vsu constent, ut Geometria, Theologia : quædam ex æquo, ut Leges & Medicina : hæc ex horum generum neutro est ; sed ex tertio, in quo plus valer exercitatio, quām scientia. Parum enim prodest sapiētia, si quis stultè se gerat. Opus ergo, ut vsum aliquis & exercitationem adipiscatur. Cuius tota ratio sicuti in tribus consistit, in adipiscendo ipsum, in promptè exequendo, & in eius perfectione habenda : ita hæc habentur natura, arte, diligentia, exercitatione, consuetudinēque cum peritis in ea atque expertis. Diligentia quidem ad perfectionem facit, ad vsum verò habendum aut promptitudinem, parum aut nihil. At Natura ad promptitudinem plurimum confert, ad vsum vel eius perfectionem, verò, parum admodum vel prorsus nihil. Ars autem ad vsum perfectionem plurimum conducit, & est principium vsum : ad promptitudinem autem operandi parum aut omnino nihil. Rursus, Exercitatio ad promptitudinem vsum facit, ad perfectionem nihil : ad vsum verò habendum est maximè necessaria. Ipsa etiam Consuetudo cum peritis ad perfectionem vsum plurimum facit, ad vsum & promptitudinem aliquid potest. Principio exornandus est animus, corpus firmandum, munienda omnia sunt bonis fortunæ, ad excipiendos ictus aduersos. Inde cognoscere oportet, quis finis sit noster. Nisi enim finem nostrum noueris, velut nauta, qui, quòd cursum dirigat, nescit, in incerto semper vagaberis, neque cognosces quòd vitæ genus illi conueniat. Scire autem id non possumus, nisi natura nostra, qualis sit, intelligamus. Sed quòd ad naturam ipsam attinet, duo sunt, quæ dubitemus ; tertium verò peculiare est ipsi fini. Et ad naturam quidem illud primum, an ob obitu anima pœnæ & præmij particeps sit futura eorum, quæ in hac egerit vita? Secundum, an animæ omnes eandem sint sortem subituræ, magnitudine tantum & partuitate diuersam? Ut, si sint exempli gratia, omnes beatæ quidem futuræ, an aliæ magis aliæ minus? an pari ratione etiam pœnarum & dolorum capaces erunt: Manifestum est autem in prima dubitatione quatuor quæstiones includi. Nam, si animæ pœnas & præmia subeunt, ambiguum non est, quin primò supersint & sint immortales : tum etiam, quòd singulæ seorsum maneant, nec in unum confundantur: denique quòd futurum sit, ut in vita eorum, quæ hic aguntur, in posterum ratio habeatur. Quòd si ita est, palam fit etiam nos omnes neruos intendere debere, ut iuste, sancte, innocentēque viuamus, omnēque consilium, omnēque cogitationem